

Texts

Chapter 6

D.11.7.2.5 *Ulpianus libro vicensimo quinto ad edictum* ... Sepulchrum est, ubi corpus ossave hominis condita sunt. Celsus autem ait: non totus, qui sepulturae destinatus est, locus religiosus fit, sed quatenus corpus humatum est.

D.41.1.14pr *Neratius libro quinto membranarum* ... nam litora publica non ita sunt, ut ea, quae in patrimonio sunt populi, sed ut ea, quae primum a natura prodita sunt et in nullius adhuc dominium pervenerunt: ...

D.43.8.3pr *Celsus libro trigensimo nono digestorum* Litora, in quae populus Romanus imperium habet, populi Romani esse arbitrator:...

D.41.1.50 *Pomponius libro sexto ex Plautio* Quamvis quod in litore publico vel in mari extruxerimus, nostrum fiat, tamen decretum praetoris adhibendum est, ut id facere liceat: immo etiam manu prohibendus est, si cum incommodo ceterorum id faciat: nam civilem eum actionem de faciendo nullam habere non dubito.

D.39.3.1.1 *Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum* ... Haec autem actio locum habet in damnum nondum facto, opere tamen iam facto, hoc est de eo opera, ex quo damnum timetur: totiensque locum habet, quotiens manu facto opera agro aqua nocitura est, id est cum quis manu fecerit, quo aliter flueret, quam natura soleret, ...

D.8.2.10 *Marcellus libro quarto digestorum* ... Sed ita officere luminibus et obscurare legatas aedes conceditur, ut non penitus lumen recludatur, sed tantum relinquatur, quantum sificit habitantibus in usus diurni moderatione.

D.41.2.12.1 *Ulpianus libro septuagensimo ad edictum* ... Nihil commune habet proprietatis cum possessione: ...

D.41.2.13pr *Ulpianus libro septuagensimo secundo ad edictum* Pomponius refert, cum lapides in Tiberim demersi essent naufragio et post tempus extracti, an dominium in integro fuit per id tempus, quo erant mersi. Ego dominium me retinere puto, possessionem non puto, ...

D.41.2.1.1 *Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum* ... Dominiumque rerum ex naturali possessione coepisse Nerva filius ait eiusque rei vestigium remanere in his, quae terra mari caeloque capiuntur: nam haec protinus eorum fiunt, qui primi possessionem eorum adprehenderit. Item bello capta et insula in mari enata et gemmae lapilli margaritae in litoribus inventae eius fiunt, qui primus eorum possessionem nactus est.

D.41.2.3.1 *Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum* ... Et apiscimur possessionem corpore et animo, neque per se animo aut per se corpore.

D.41.2.30pr *Paulus libro quinto decimo ad Sabinum* Qui universas aedes possedit, singulas res, quae in aedificio sunt, non videtur possedis. Idem dici debet et de nave et de armario.

D.41.2.44.1 *Papinianus libro vicensimo tertio quaestionum* ... Quaesitum est, cur ex peculii causa per servum ignorantibus possessio quaereretur. Dixi utilitatis causa iure singulari receptum, ne cogentur domini per momenta species et causas peculiorum inquirere. Nec tamen eo pertinere speciem istam, ut animo videatur adquiri possessio: nam si non ex causa peculiari quaeratur aliquid, scientiam quidem domini esse necessariam sed corpore servi quaeri possessionem.

D.41.2.3.9 *Paulus libro quinquagesimo quarto ad edictum ...* Et si alii tradiderim, amitto possessionem. Nam constat possidere nos, donec aut nostra voluntate discesserimus aut vi deiectionis fuerimus.

D.41.2.8 *Paulus libro sexagesimo quinto ad edictum* Quemadmodum nulla possessio adquiri nisi animo et corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est.

D.41.2.25pr *Pomponius libro vicensimo tertio ad Quintum Mucium* Si id quod possidemus ita perdidimus, ut ignoremus, ubi sit, desinimus possidere.

D.41.2.17.1 *Ulpianus libro septuagesimo sexto ad edictum ...* Differentia inter dominium et possessionem haec est, quod dominium nihilo minus eius manet, qui dominus esse non vult, possessio autem recedit, ut quisque constituit nolle possidere.

D.41.2.35 *Ulpianus libro quinto de omnibus tribunalibus* Exitus controversiae possessionis hic est tantum, ut primus pronuntiet iudex, uter possideat: ita enim fiet, ut is, qui victus est de possessione, petitoris partibus fungatur et tunc de dominio quaeratur.

D.43.17.2 *Paulus libro sexagesimo quinto ad edictum* Iusta enim an iniusta adversus ceteros possessio sit, in hoc interdicto nihil refert: qualiscumque enim possessor hoc ipso, quod possessor est, plus iuris habet quam ille qui non possidet.

D.43.16.1.31 *Ulpianus libro sexagesimo nono ad edictum ...* Qui vi deiectionis est, quidquid damni senserit ob hoc quod deiectionis est, recipere debet: pristina enim causa restitui debet, quam habiturus erat, si non fuisset deiectionis.

D.43.16.3.2 – 5 *Ulpianus libro sexagesimo nono ad edictum ...* Armis deiectionis quomodo accipimus? Arma sunt omnia tela, hoc est et fustes et lapides, non solum gladii hastae frameae, id est rhomphaeae. [3] Plane si unus vel aliter fustem vel gladium tenuit, armis deiectionis possessor videtur. [4] Plus dicitur, et si inermes venerant, si in ipsa concertatione qui inermes venerant eo processerunt, ut fustes aut lapides sumerent, vis erit armata. [5] Qui armati venerunt et si armis non sunt usi ad deiectionis, sed deiectionis, armata vis facta esse videtur: sufficit enim terror armorum, ut videantur armis deiectionis.

D.8.6.1 *Gaius libro septimo ad edictum provinciale* Servitutes praediorum confunduntur, si idem utriusque praedii dominus esse coeperit.

D.8.1.15pr *Pomponius libro trigensimo tertio ad Sabinum* Quotiens nec hominum nec praediorum servitutes sunt, quia nihil vicinorum interest, non valet, veluti ne per fundum tuum eas aut ibi consistas: ...

D.8.1.9 *Celsus libro quinto digestorum* Si cui simplicius via per fundum cuiuspiam cedatur vel relinquatur, in infinito, videlicet per quamlibet eius partem, ire agere licebit, civiliter modo: ...

D.8.1.15.1 *Pomponius libro trigensimo tertio ad Sabinum ...* Servitutum non ea natura est, ut aliquid faciat quis, velut viridia tollat aut amoeniorem prospectum praestet, aut in hoc ut in suo pingat, sed ut aliquid patiat aut non faciat.

D.8.5.6.2 *Ulpianus libro septimo decimo ad edictum ...* sed ... possit quis defendere ius sibi esse cogere adversarium reficere parietem ad onera sua sustinenda. Labeo autem hanc servitutum non hominem debere, sed rem, denique licere domino rem derelinquere scribit.

D.8.4.1.1 *Ulpianus libro secundo institutionum ...* Ideo autem hae servitutes praediorum appellantur, quoniam sine praediis constitui non possunt: nemo enim potest servitutum acquirere

vel urbani vel rustici praedii, nisi qui habet praedium, nec quisquam debere, nisi qui habet praedium.

D.8.4.12 *Paulus libro quinto decimo ad Sabinum* Cum fundus fundo servit, vendito quoque fundo servitutes sequuntur. Aedificia quoque fundis et fundi aedificiis eadem condicione serviunt.

D.8.2.2 *Gaius libro septimo ad edictum provinciale* Urbanorum praediorum iura talia sunt: altius tollendi et officendi luminibus vicini aut non extollendi: item stillicidium avertendi in tectum vel aream vicini aut non avertendi: item immitendi tigna in parietem vicini et denique prociendi protegendive ceteraque istis similia.

D.8.3.1pr *Ulpianus libro secundo institutionum* Servitutes rusticorum praediorum sunt hae: iter actus via aquae ductus. Iter est ius eundi ambulandi homini, non etiam iumentum agenda. Actus est ius agenda vel iumentum vel vehiculum: itaque qui iter habet, actum non habet, qui actum habet, et iter habet etiam sine iumento. Via est ius eundi et agenda et ambulandi: name et iter et actum in se via continent. Aquae ductus est ius aquam ducendi per fundum alienum.

D.8.3.15 *Pomponius libro trigesimo primo ad Quintum Mucium ...*, cum iter aquae vel cottidianae vel aestivae vel quae intervalla longiora habeat per alienum fundum erit, licet fistulam suam vel fictilem vel cuiuslibet generic in rivo ponere, quae aquam latius exprimeret, et quod vellet in rivo facere, licere, dum ne domino praedii aquagium deterius faceret.

D.42.20.1.18 *Ulpianus libro septuagesimo ad edictum ...* Trebatius, cum amplior numerus pectoris ad aquam appelletur, quam debet appellere, posse unversum pecus impune prohiberi, quia iunctum pecus ei pecori, cui adpulsus debeatur, totum corrumpat pecoris adpulsus. Marcellus autem ait, si quis ius habens pecoris ad aquam appellendi plura pecora adpulerit, non in omnibus pecoribus eum prohibendum: quod verum est, quia pecora separari possunt.

D.7.1.13.7 *Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum ...* Sed si aedium usus fructus legatus sit, ... et lumina immittere eum posse ...: sed et colores et picturas et marmora poterit et sigilla et si quid ad domus ornatum. Sed neque diaetas transformare vel coniungere aut separare ei permittetur, vel aditus posticasve vetere, vel refugia aperire, vel atrium mutare, vel viridia ad alium modum convertere: excolere enim quod invenit potest qualitate aedium non immutata.

D.7.1.44 *Neratius libro tertio membranarum* Usufructuarius novum tectorium parietibus, qui rudes fuissent, imponere non potest, quia tametsi meliorem excolendo aedificium domini causam facturum esset, non tamen id iure suo facere potest, aliudque est tueri quod accepisset an novum faceret.

D.7.1.68.2, 69 *Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum ...*Plane si gregis vel armenti sit usus fructus legatus, debet ex adgnatis gregem supplere, id est in locum capitum defunctorum [69] *Pomponius libro quinto ad Sabinum* vel in utilium alia summittere, ut post substituta fiant propria fructuarii, ne lucro ea res cedat domino.

D.7.1.12.2 *Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum ...* Usufructuarius vel ipse frui ea re vel alii fruendam concedere vel locare vel vendere potest: nam et qui locat utitur, et qui vendit utitur.

D.7.1.9.2 *Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum ...*Sed si lapidicinas habeat et lapidem caedere velit, vel cretifodinas habeat vel harenas, omnibus his usum Sabinus ait quasi bonum patrem familias: quam sententiam puto veram.

D.7.1.68pr *Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum* Vetus fuit quaestio, an partus ad fructuarium pertineret: sed Bruti sententia optinuit fructuarium in eo locorum non habere: neque enim in fructu hominis homo esse potest.

D.7.1.22 *Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum* ... si quidem contemplatione fructuarii aliquid ei relictum vel donatum est, ipsi adquiret: sin vero proprietarii, proprietario: si ipsius servi, adquiritur domino, ...

D.7.1.70.1 *Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum* ... Interim tamen, quamdiu summittantur et suppleantur capita quae demortua sunt, cuius sit fetus quaeritur. Et Iulianus ... scribit pendere eorum dominium, ut, si summittantur, sint proprietarii, si non summittantur, fructuarii: quae sententia vera est.

D.7.1.4 *Paulus libro secundo ad edictum* Usus fructus in multis casibus pars dominii est, et extat, quod vel praesens vel ex die dari potest.

D.7.5.2pr *Gaius libro septimo ad edictum provinciale* Sed de pecunia recte caveri oportet his, a quibus eius pecuniae usus fructus legatus erit.

D.7.8.7 *Pomponius libro quinto ad Sabinum* Non aliter autem mulier hospitem recipere potest, quam si is sit, qui honeste cum ea quae usum habeat habiturus sit.

D.8.4.3 *Gaius libro septimo ad edictum provinciale* Duorum praediorum dominus si alterum ea lege tibi dederit, ut id praedium quod datur serviat ei quod ipse retinet, vel contra, iure imposita servitus intellegitur.

D.8.5.10pr *Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum* Si quis diuturno usu et longa quasi possessione ius aquae ducendae nactus sit, non est ei necesse docere de iure, quo aqua constituta est, veluti ex legato vel alio modo, sed utilem habet actionem, ut ostendat per annos forte tot usum se non vi non clam non precario possedisse.

D.8.2.6 *Gaius libro septimo ad edictum provinciale* ... Item si tigni immissi aedes tuae servitatem debent et ego exemero tignum, ita demum amitto ius meum, si tu foramen, unde exemptum est tignum, obturaveris, et per constitutum tempus ita habueris: alioquin si nihil novi feceris, integrum ius suum permanet.

D.7.4.3.3 *Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum* ... Morte quoque amitti usum fructum non recipit dubitationem, cum ius fruendi morte extinguatur, sicuti si quid aliud, quod personae cohaeret.

D.7.4.24pr *Iavolenus libro tertio ex posterioribus Labeonis* Cum usum fructum horti haberem, flumen hortum occupavit, deinde ab eo recessit: ius quoque usus fructus restitutum esse Labeoni videtur, quia id solum perpetuo eiusdem iuris mansisset. Ita id verum puto, si flumen inundatione hortum occupavit: nam si alveo mutato inde manare coeperit, amitti usum fructum existimo, cum is locus alvei publicus esse coepit, neque in pristinum statum restitui posse.

D.6.3.1.1, 2 *Paulus libro vicensimo primo ad edictum* ... Qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt a municipibus, quamvis non efficiantur domini, tamen placuit competere eis in rem actionem adversus quemvis possessorem, sed et adversus ipsos municipes, [2] *Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum* ita tamen si vectigal solvant.

D.43.18.2 *Gaius libro vicensimo quinto ad edictum provinciale* Superficiarias aedes appellamus, quae in conducto solo positae sunt: quarum proprietas et civili et naturali iure eius est, cuius est solum.